I. 7.

DE

VI ANIMI AFFECTUUM NOXIA

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET ACTUORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO

SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORIBUS RITE CAPESSENDIS

DIE XXVIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

JOANNES TRAUGOTT JACKISCH

SCHREIBERSDORFENSIS LUSATUS

OPPONENTIBUS

CAR. NAGEL MED. DD.

FR. KAAS MED. DD.

AD. KROEBER MED. CD.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRI, CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO

G. H. G. REMER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI, AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI IN REBUS MEDICIS A CONSILIIS, IN UNIVERSITATE LITERARUM VRATISLAVIENSI MEDICINAE PROFESSORI PRIMARIO PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CLINICI MEDICI DIRECTORI ET PLURIUM SOCIETATUM SODALI.

PRAECEPTORI SUO SUMMOPERE COLENDO

NEQUE MINUS

VIRO

SPECTABILI, MAXIME VENERANDO

CHRIST. NEUMANN

PASTORI SCHREIBERSDORFIENSI

AMICO DILECTISSIMO ATQUE FIDELISSIMO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS TANQUAM

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMAEQUE MENTIS TESSERAM

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Nulla res videtur maiorem in organismum vim exercere, quam animi affectus. Quod iam ex eo patet, quod homines optimi his incitati, saepissime in peius vertuntur, saepe etiam ad quandam veluti belluarum conditionem delabuntur; contra vero homines pessimi per eos ad bonos mores et naturae integritatem reducuntur.

Verum etiam, si corporis rationem habeas, animi affectus plurimum valent, cum et morbos in eo progignere et morbos sanare possint, quod, ut reliquos omittam, Maass 1) Grunov 2) aliique demonstrarunt. Hosce effectus varios animi

1) Maass, Versuch über die Leidenschaften. Thl. 1. §. 49. No. 1. 2.

2) Grunov, dissert. inaugural medic. de noxa atque utilitate animi pathematum seu adfectuum in medicina. Hal. 1745.

affectuum animo perpendens, tandem campum eorum latiorem atque frequentiorem, nempe noxam, quam organismo humano afferunt, describendi consilium cepi; quod eo magis, cum haec eorum cognitio cuilibet et nimirum medico practico maximi momenti sit, et effectus eorum phaenomena producant, quae sine eorum cognitione nec bene explicari nec remedia ad noxam eorum removendam rite adhiberi possint. Non negandum est, hanc materiam, quam mihi explicandam elegi, esse difficilem, non modo quod in arte medica tiro sum, sed in naturae etiam animi affectuum explicatione et in ipsorum definitione magna varietas, obscuritas et difficultas obtinet; nec minus etiam hoc meum laborem difficilem reddit, quod animi passiones, animi desideria et animi affectus saepius inter se confunduntur, quamquam singula valde inter se differunt. Quare superfluum non habeo, si hic nonnulla de discrimine animi affectuum et animi passionum sive cupidinum verba obiter dixerim; quem ad finem etiam nonnullos et recentiores et antiquiores scriptores introducam, quod ad explicandos, definiendosque animi affectus ut materiam accuratius persequerer, pernecessarium iudicavi, ne animi passiones et desideria affectibus animi adnumerentur, quod a recentioribus scri-

ptoribus e. c. a Grunov 1) Moeringho 2) aliisque factum esse constat.

Iam nomen germanicum utriusque animi mutationis, discrimen satis demonstrat, melius atque accuratius vero differunt ipsorum natura. Secundum Maassii sententiam 3) est animi possio: cupido tam fortis, ut mens sana ipsa per eam vincatur; animi affectus vero status, quo fortis affectio interna existit et sensus internus nimirum est comprehensus. Kantius 4) animi passionem dicit esse tantam attractionem ad aliquam rem, quanta ratione hominis affecti aut difficile aut nullo modo vinci possit; animi affectum vero esse sensum alicuius voluptatis aut taedii aliqua in re, qui animi deliberationem hominis affecti deprimat. Et Burdachius commemorat 5) animi passiones esse conatum ardentiorem aliquem in finem determinatum; affectus animi vero 6), esse excitationem animi efficaciorem, igitur statum animi, quo res aliqua animum nimium incitet.

---

1) Grunov, diss. de noxa atque utilitate etc.

2) Moeringhus, diss. inauguralis medic. de animi pathematum etc.

3) Maass, Versuch über d. Leidenschaften. Tl. 1. §. 9.

4) Kant Anthropologie. §. 63.

5) Burdach, Handbuch der Pathologie. §. 230. b.

6) Ibid. §. 214. a.

Et Cicero 1) perturbationem (πάθος) esse inquit appetitum vehementiorem, sed vehementiorem volunt esse, qui longius discesserit a naturae constantia; et alio loco Cicero definitionem Zenonis indicat 2) his verbis: „est igitur Zenonis haec definitio, ut perturbatio sit, quod πάθος ille dicit aversa a recta ratione contra naturam animi commotio.“ Et Magirus 3) passiones ex Aristotelis sententia ita definivit: est motus cordis a notitia et cognitione obiecti excitatus, illudque aut prosequens aut fugiens. Attamen ex his patet, has Ciceronis, et Zenonis et Magiri definitiones, tantum passiones animi nequaquam affectus, uti nos intelligi volumus, attinere. Ex his omnibus dictis elucet, animi passiones sive desideria eas animi esse affectiones, quae cum cupiditate et desiderio invincibili aliquam in rem sint coniunctae et quae longum per tempus persistant; affectus vero animi ardorem esse haud voluntarium et exaltationem animi affecti, quare etiam affectus, si calor cordis nimius extinguitur, desinunt et animi etiam affectus aperti atque probi apparent, quum contra animi passiones oculte improbeque agere possint. Sed ne tam multa verba faciam, nunc ad meum finem

---

1) Quaest. Tuscul. lib. IV. c. 6.

2) Ibid. lib. IV. c. 26.

3) Magirus in phys. suis lib. VI. c. 16.

ipsum, nempe ad explicandos affectus animi affectuum noxiorum in organismum humanum me verto.

---

§. 1.

Multitudini causarum, quae phaenomena, mutationes et morbos, imo mortem ipsam inducere valent, merito etiam animi affectus adnumerare passumus; quam ob rem ii sunt a pathalogiae scriptoribus inter morborum causas relati, v. c. a Sqrengelio, Burdachio, Conradio aliisque. Hi nimirum causis dynamicis adnumerandi sunt, cum prae aliis actiones animi occupent, quamquam etiam mediate sive indirecte in corporis materiem magis vel minus vim suam exserunt. Effectus eorum modo maiores modo minores partim a potentia eorum, cum affectus nonnulli per se fortiores ac vehementiores aliis sint et mutationes maiores in organismo producant, sic e. c. est desperatio affectus vehementior, quam spes, terror fortior quam pudicitia, partim a maiore vel minore sensibilitatis vel temperamenti gradu subiecti dependent; eoque magis id quidem si potentiis nocentibus homo iamiam correptus est.

§. 2.

Animi affectus, ut per cerebrum et systema nervosum in organismum effectum praebeant,

sic functiones organorum aut augent aut minuunt, aut sensibilitatem et irritabilitatem, sanguinis circulationem, respirationem, secretiones et excretiones nec minus omnes functiones aut iuvant aut impediunt, et profecto in suis effectibus vehementissimis afferunt apoplexiam, paralysin, quin etiam mortem. Hosce generales effectus respicientes, affectus animi etiam in

I. excitantes et II. deprimentes dividimus.

§. 3.

Nonnulli eos dividunt in comtemplativos et pathologicos uti Maass indicat, 1) alii in iucundos et iniucundos v. c. Grunovus 2) alii in primitivos et simplices e. c. Moeringhus 3), sicuti etiam Laurentius 4) eos in primitivos et secundarios partitur, et Aquinas 5) undecim passiones ponit, nempe sex in appetitu concupiscente, quinque in irascente.

---

1) Maass Versuch über die Leidenschaften. T. 1. §. 6.

2) Grunov diss. de noxa atque utilitate animi pathematum etc.

3) Moeringhus, diss. de pathematibus.

4) Laurentius disputatio physica, de passionibus animae primitivis etc. Servestae 1691.

5) Aquinas Quaest. 23. art. 4.

Concupiscentis constituit: amorem, odium, desiderium, fugam, gaudium, tristitiam; irascentis: spem, desperationem, metum, audaciam, iram, quae paucis his versibus mnemonicis exprimuntur:

Hic amat, hic odit, desiderat aut fugit ille
Gaudet, tristatur spes, exspes hic timet, audet
Iratum hunc videas varia est affectio nempe.

Tamen vero est divisio prior, nempe in excitantes et deprimentes, qua etiam Sprengelius, Burdachius, Conradius, Heckerus aliique suis in libris usi sunt, multo melior atque praestantior.

§. 4.

Per animi affectus excitantes statum animi intelligimus, quo hic incitamento sensuum vehementiore libere et impedite agit, quare haec phaenomena apparent, nempe irritatio systematis musculorum adaucta, pulsatio fortior et accelerata cordis et arteriarum, actio maior musculorum voluntariorum, calor adauctus etc. Si quis affectus vehemens est, tunc irritationem efficaciorem, defatigatio manifesta, et asthenia indirecta sequitur, et in summo huius affectus gradu statim primis eius momentis suboritur superexcitatio et suppressio animi functionum, totiusque organismi. Morbi, quos affectus excitantes produnt, sunt

indolis sthenicae vel indirecte asthenicae, frequentissime pyrexiae.

§. 5.

Ad affectus, qui humanum in organismum excitando agunt, prae ceteris laetitia, maxime inopinata, impetus quasi divinus, enthusiasmus, ira, furor, desperatio, spes rel. pertinent. Omnes affectuum species nolo enumerare, ne nimium divager, quod nimirum, cum ceteri affectus aut his cognati aut subordinati sint, quod etiam de affectibus deprimentibus serius describendis valet. Etiamnum est commemorandum, scriptores in excitantium et deprimentium affectuum divisione singulorum affectuum variam obtinere opinionem, aliis nempe omnes affectus sine exceptione excitantes videntur, 1) alii rursus affectus deprimentes, excitantibus adnumerant v. c. terrorem et sic vice versa desperationem; alii rursus affectus quosdam partim excitantes partim deprimentes habent, quod a Sprengelio notatur. 2) Tamen vero ex sequentibus, quibus singulas animi affectuum species explicare destinavi, perspicuum erit, species affectuum supra indicatas pleno iure pro excitantibus esse habendas.

---

1) Jos. Frank Erläuterung der Erinnerungs-Theorie. S. 348.

2) Handbuch der Pathologie Thl. 1. §. 860.

§. 6.

I. Iam animi affectus excitantes quoad causas suas coniuncti esse possunt:

A, aut cum praesentia alicuius boni secundum Sprengelium 1) aut amoenitate praesenti uti Hallerus dicit 2) aut aliquo cum sensu praesentis perfectionis sive felicitatis secundum Burdachium 3).

§. 7.

Nunc vero ad singulas affectuum excitantium species ipsas transeo quarum primum tenet locum

a. Laetitia, quae est affectio animi grata aliqua de re bona et iucunda. Laetitia nimirum efficit: excitationem animi nimiam, phantasiam adauctam, aprypniam, circulationem sanguinis celeriorem, congestiones ad caput et alias partes, genarum rubescentiam, oculorum splendorem sic e. c. vir quidam cui publico in ludo sors maxima contigerat, phrenitide et puerpera quaedam prae nimia laetitia metritide correpta est. Saepissime e laetitia oritur status crapulae similis, quare his in hominibus verba abrupta ac parum inter se

1) Handbuch der Pathologie Thl. 1. §. 853. §. 855.

2) von Haller Grundriss der Physiologie §. 564.

3) Handbuch der Pathologie §. 218.

connexa, motus corporis vehementiores, ut clamores, cantus, saltus, imo interdum motus convulsivos videmus. Motus musculorum fortes nec minus agitatio cordis et arteriarum adaucta, functiones pulmonum superantes, producunt difficultatem atque anxietatem respirationis. Si laetitia maxime est fortis, tunc sequuntur dolores, maxima virium debilitas imo ipsa apoplexia et mors. Exemplum mortis nobis narrat Pechlinus 1) dicit enim: Torquatum Gallum cum ex carcere, in quo multos per annos fuerat detentus, liberaretur, inter primos uxoris et liberorum suorum amplexus exspirasse.

§. 8.

Gradus laetitiae altior est:

b. laetitia inopinata, ubi homini aliquid boni aut grati ex improviso accidit. Haecce saepe animi functiones celeriter perdit, lipothymiam, syncopen, maniam, astheniam nervorum, spasmos, convulsiones, apoplexiam gignit; etiam plura subitaneae mortis exempla ex laetitia inopinata prostant apud auctores, sic Valerius maximus 1) duo exempla narrat his verbis; „nuntiata clade, quae ad lacum Thrasimenum inciderat,

1) Pechlinus in Ephemerid. medicophys. lib. 3.

1) Val. maxim. lib. 9. c. 12.

altera mater sospiti filio ad ipsam portam facta obviam, in complexu eius exspiravit; altera cum falso mortis filii nuntio domi moesta sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Et ex recentiore aevo huc pertinet haeres, viri immortalis Leibnitzii, quae, cum praeter spem, cistam nummis repletam inveniret, hoc thesauro adeo delectabatur, ut mortua procumberet; sic videmus etiam homines ad capitis supplicium damnatos, subito lipothymia et morte ipsa corripi, si exclamatur: dari ipsis veniam et a morte absolutionem.

§. 9.

Ad affectus animi excitantes pertinent porro c, impetus quasi divinus et enthusiasmus, status e laetitia de felicitate et bono sensus excedente, subortus, et ubi praecipue phantasia potenter est excitata et pretium huius rei animo ex intimo sentit et amplectitur. Hic affectus animi est quidem minus fortis et corpori noxius; periculosior autem ceteris animi functionibus, dum nimia existimatio perfectionis, virtutis vel bonae rei fatuitatem adducit, facile etiam amentia, spasmi, error fanaticus et mania inde oriri potest. Sic homines impetu quasi divino correptos et inde fanatismo oriente, nimirum fanatismo religioso mortem sibi adsciscere videmus, uti Vratislaviae

factum est, alii rursus naturam Dei praeclaram e monte alto contemplantes et enthusiasmo et fanatismo religioso correpti, a petra in praeceps se detrudunt. Ex his intelligimus, quantam noxam laetitia, laetitia inopinata, impetus quasi divinus et enthusiasmus in organismum humanum habere possint.

§. 10.

Nunc transeo ad animi affectus excitantes, qui

B, cum praesentia alicuius mali, rei ingratae vel sensu virium deficientium sunt coniuncti, quo pertinent:

a. ira, quae est affectio animi vehemens atque ardens de aliqua re sibi et ipsius voluntati pertinaciter oppugnante, aut de iniuriis nequaquam meritis.

Symptomata, quae in irato apparent, sunt nimirum haec: circuitus sanguinis inordinatus summopere acceleratus; omnes fere musculi sunt in actione, sic nullum periculum metuens, oculis flagrantibus iniuriae illatae sese opponit, unde Palingenius dicit:

— — — — Audaces facit ira pericli
Contemtrix auget rubor, viresque ministrat.

Hoc loco praeterunda non est eximia irae descriptio, quam a Seneca allatam legimus. Sed ipsius illius auctoris verba appono, quae et di-

nitate et auctoritate gravissima sunt: „Flagrant (iratis) et micant oculi, multus ore toto rubor, exaestuante ab imis praecordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli; spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, et parum explanatis vocibus sermo praeruptus, et complosae saepius manus, et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens, foeda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium.“

Porro congestiones ad caput, respiratio celeris, quare vox et sermo vehementiores fiunt et saepe psellismus et tremor totius corporis oriuntur, secretiones perturbantur, maxime vero secretio salivae et bilis augentur, unde fere semper in ira dolor tensivus sub scrobiculo cordis cum amaritie oris observatur, quam dein vomitus biliosus vel crebra alvi deiectio, vel et ambae simul excretiones subsequuntur. Interdum etiam e spasmo has partes obtinente secretio bilis in intestina prohibetur, unde bile regurgitante icterus oritur, ut memorat Pechlinus 1). Nonnunquam etiam scirrhum hepatis producit, nec minus calculum vesicae felleae. Porro his e spasmis, primas vias

1) Pechlinus lib. 3. observat. 25.
Senec. De Ira. Lib I. cap. 1.

infestantibus, frequenter flatus et borborygmi et in foeminis hysteria gignitur; tandem ex ira inflammatio ventriculi est observata, sine dubio ex acrimonia bilis effusae et spastica vasorum ventriculi constrictione.

§. 11.

Ex motu sanguinis vehementiore atque accelerato, qui in irato semper adest, alia etiam mala oriuntur, nimirum si maior ad unam vel alteram partem sanguinis fiat determinatio, v. c. si ad cerebrum ruat sanguis, vertiginem, phrenitidem, apoplexiam et epilepsiam inducit; sic Barthol. phrenitidem ex ira natam commemorat, 1) et in foeminis fluxus mensium ab ira saepe maxime augetur, aliquando etiam suppressus excitatur. Interdum in ira haemorrhagia narium, praeprimis in illis, qui huic evacuationi adsueti sunt, et in aliis maxima sanguinis copia ex auribus erumpit, sic Pechlinus 2) de magistro quodam equitum narrat: hunc cum maxime iratus hostem invaderet, tanta aurium haemorhagia esse affectum, ut finito proelio, graviter et ipse vulneratus crederetur, prae copia sanguinis, qua vestes erant conspurcatae. Haemoptysin etiam et haemor-

1) Barthol. in act. Hafn. Vol. 2. observat. 95.
2) Pechl. lib. 3 observ. 25.

rhoidum fluxum ira quandoque excitat, nimirum in hominibus ad has evacuationes dispositis, vel qui ante iis laboraverant. Ex ira etiam erysipelas nonnunquam nascitur, maxime in cacochymicis et iis, qui hoc morbo antea iam pluries laborarunt.

§. 12.

Iram etiam mortis causam exstitisse legimus; sic de Innocentio III. pontifice narratur, quod, prae rebus in bello male gestis, ira correptus animam exspiraverit; narratur etiam a Th. Barth. in act. Hafn. de ancilla quadam, quae, ab alapam ipsi inflictam summopere irata, mox exanimis concidit. Sic etiam Valer. Maxim. 1) narrat: Sullam animi concitatione nimia atque immoderato vocis impetu convulso pectore, spiritum cruore ac minis mixtum exspirasse. Praeter haec quotidiana experientia plura nobis suppeditat exempla subitaneae mortis ex ira, in ipsa nempe commotionis vehementia. Quamquam proximam mortis causam invenire difficile est, tamen negari nequit, plurimos ira vehementi exanimatos, apoplexia correptos exspirasse, cum in nonnullis ira mortuis, sanguinis copia in vasis cerebri et etiam intra cranium effusa, sit inventa.

---

1) Val. Maxim. lib. 9. c. 5.

§. 13.

Alius animi affectus excitans est b. furor, qui est summus gradus et maxima irae eruptio in qua omnes motus maxime furiosi et spastici occurrunt, uti iam Virgilius 1) canit:

Uritur infelix Dido totaque vagatur
Urbe furens.

Secretiones ita sunt permutatae, ut bili et salivae mixtio sit abnormis, quod etiam Burdachius 2) commemorat. Cum hinc superexcitatio multo maior sit, saepissime subito cessatio animi virium ut et ceterarum corporis functionum consequuntur, quam ob rem lipothymia, apoplexia etc. oritur. Nimirum ex hoc statu furioso excoluntur pyrexiae sthenicae sive indirecte asthenicae systematis vasorum sanguiferorum, musculorum voluntariorum vel etiam sthenici aut indirecte asthenici morbi hepatis.

§. 14.

Nunc ad explicandum alium animi affectum me converto c, ad desperationem, hic apparet, tristitia intolerabilis super malo praesenti vel oppositio contra potentiam impedientem, quam superare et removere non valemus. Nonnulli auctores hunc affectum deprimentibus adnumera-

1) Aeneid. lib. IV.

2) Burdachs Handbuch der Pathologie §. 222.

runt c. c. Sprengelius 8). Cum vero conspicuus sit maxima virium contentione, qua impedimenta tristitiam excitantia, superentur, quamquam superari nequeunt, tamen hunc affectum, etiamsi moerori et animi sollicitudini sit cognatus et hoc virium augmentum maxima virium consumtio consequatur, numero excitantium comprehendere debemus. Desperatio non solum in homines et alia obiecta, sed etiam in Deum ipsum impetum facit, quare desperatio vehementiorem virium exaltationem, verum etiam postea maiorem virium debilitatem ac consumtionem manifestat, quam ira. Desperatio ideo eosdem effectus exserit, quos in explicanda ira descripsi, organismo admodum infensos, sed summo in gradu.

§. 15.

Nunc iam ad affectum alium excitantem et quidem coniunctum C, cum sensu aliquo amoenitatis vel felicitatis futurae, me confero, d, spes est igitur exspectatio alicuius boni, attamen hic intelligo si spes noxie in organismum efficiat, magis nimiam atque vehementiorem alicuius rei exspectationem.

Effectus spei est in eodem gradu excitans, uti laetitia et si subito intrat et post effectus deprimentes oritur, similem noxam afferre potest.

---

8) Eiusd. Handbuch der Pathologie §. 863.

Ex celeritate, qua altera grata animi contentio alteram sequitur, et ex imbecillitate has omnes comprehendendi riteque componendi, amentia oriri potest. Et contentione animi continua in exspectationem rerum consequentium ceterae organismi functiones in suis actionibus et perturbantur et impediuntur; oriuntur dyspepsia, agrypnia, secretio adaucta vel imminuta excretionum, debilitas musculorum, eoque magis id quidem, quo diutius res exspectatae retardantur, ubi per nimiam nervorum intentionem stultitia imo ipsa suspensio omnium animi functionum oriuntur.

§. 16.

Sed nunc ad secundum animi affectuum ordinem transeo.

II. ad affectus animi deprimentes; per quos ii intelliguntur, qui actiones organismi debilitant, nimirum partium musculorum, dum mentis actiones sunt excitatae, praeprimis phantasia; turgor vitalis praecipue his cito debilitatur, vis expansiva et centrifuga coërcentur, circulatio sanguinis superficiem versus minuitur et stagnatio internis in partibus adducitur. Morbi, quos hi affectus deprimentes producunt sunt indolis directe asthenicae et quidem status paralyticus. Ad animi affectus organismum deprimentes pertinent prae ceteris, sollicitudo, indignatio, tristitia, terror, pudor, metus, poenitentia.

§. 17.

Hi affectus sunt coniuncti quoad causas:

A. cum sensu praesentis rei ingratae sive mali seu infelicitatis. Ad hos animi affectus numeramus:

a) Sollicitudinem, quae oritur ex aliquo malo vel ingrata re, cui animus sese opponere studet, sed hanc oppositionem manifestare nequit, aut ob debilitatem aut nimiam animi excitationem qua stimuli quam vehementer efficiunt et vim animi facile superant. Sollicitudo igitur animum deprimit, et in universum propter illum conatum sanitati magis est infensa quam ira. Sollicitudine inducitur debilitas animi nervorum et musculorum, circulatio sanguinis perturbata, congestio eius internas partes versus, pallor cutis, nunc calor, nunc frigus, perturbatio et depressio secretionum et excretionum, stagnatio in vasis venosis et lymphaticis, exindeque assimilatio laesa, hydrops, icterus et alii morbi cachectici. Porro oriuntur suppressio pectoris, constrictio tracheae spastica, repulsio vocis atque tremor labiorum, stridor dentium, amentia, lipothymia, paralyses et nimirum status hepatis paralyticus etc.

§. 18.

Sollicitudini est subordinata:

b, indignatio, quae in suis effectibus sollicitudini similem sese habet, et tantum eo discer-

nitur, quod suos sensus minus deprimit, quamquam ii etiam res ingratas non superare valent. Quare indignatio magis quam ira vana atque iners habenda. Effectus eius noxii effectibus sollicitudinis similes sunt, gradu vero inferiori.

§. 19.

Alius affectus deprimens est:

c, tristitia, quae est quasi animi dolor et affectio maxime ingrata. Ex hoc affectu formatur rationis, prudentiae et voluntatis debilitas, phantasia nimis efficax; consequuntur agrypnia, somnia turbantia, mania et alii mentis morbi; sensus deprimuntur, musculi debilitantur et laxantur, circulatio sanguinis fit debilis, tarda, parva, exinde gignitur frigus extremitatum, siccitas, rugae, pallor et flavedo cutis, nimirum albedo faciei, deiectio oculorum. Hinc pulchre Ovidius moerorem Niobes describens canit;

In vultu calor est sine sanguine, lumina moestis
Stant immota genis; nihil est in imagine vivum.

Respiratio est debilis et tarda hincque oritur gemitus, excretiones, exceptis, et secretiones lacrymis sunt perturbatae, lacrymarum secretio ipsaque post finitur. Appetitus, digestio et assimilatio defetiscunt, exinde infarctus intestinorum et tandem atonia universalis oriuntur,

emaciationes, cachexiae, scorbutus, arthritis, quae si iam in corpore adest, a tristitia summopere augetur; nec minus nascuntur ideae fixae, melancholiae, mania, lethargus, paralysis, hemiplegia et ipsa tandem mors supervenit. Haec et plura alia mala chronica a tristitia inducuntur. Sed etiam exemplis mortis subitaneae ex tristitia subito invadente, subortae non caremus; sic refert Michel de Montagne 1) patrem quendam, cum filium suum in proelio occisum cerneret, protinus e vivis discessisse; quamquam haec tristitia cum terrore haud fuit coniuncta. Sic etiam de Pomperano Gallo memoratur, quod, urbe quadam ab imperatore Carolo V exercitu expugnata, cogitatione defixis in coelum oculis obstupuerit, et extemplo exspiraverit. Et quantopere tristitia in morbis noceat, observatio quotidiana testatur, adeo ut morbi per se facile sanabiles per tristitiam non solum diutius trahantur, sed plane etiam insanabiles evadant; quod maxime de hypochondria valet; quae ut saepe a tristitia oritur, ita vel maxime a tristitia fovetur.

§. 20.

d. Sequitur iam terror, affectio animi, quae subito et ex improviso intrat, fere frequentissima

1) Michel de Montagne, Essais c. 2. p. 6.

et nocentissima. Hunc per affectum totum systema nervorum percutitur et debilitatur, quare frigus, horror, erectio capillorum, pallor faciei, magnus tremor exstremitatum oriuntur et vox saepe inhibetur, sic iam Virgilius 1) terrore comprehensum pulchre describit, his versibus:

— — — magnis exterrita monstris
Dirriguit visu in medio, calor ossa reliquit,
Labitur, et longo vix tandem tempore fatur.

Porro circulatio sanguinis perturbatur, quare congestiones pulmones et cor versus, ex quibus dyspnoea, palpitatio cordis interdum etiam dilatatio et ruptura eius, suppressio secretionum nec minus haemorrhagiae vehementes suboriuntur. Musculi cum debilitentur, convulsiones, frequenter epilepsia, hemiplegia nascuntur ut quotidiana docet experientia, praeprimis in foeminis et infantibus, quarum systema nervosum pro natura sua admodum mobile est, quae quidem mobilitas a terrore summopere augetur, hinc toties a terrore hysteria nascitur vel maxime augetur. Th. Barth. 1) aphoniam a terrore inductam commemorat. Noxius etiam admodum est terror faeminarum mammis, saepe enim lactis secretionem supprimit, vel constringendo vasa,

---

1) Aeneid. Lib. 3. v. 307.
2) in act. Hafn. lib. 1. observ. 101.

tumores et scirrhos gignit; inde quandoque lac in mammis nocivum redditur ut narrat Pechlinus. 1) De Febre maligna a terrore inducta legimus apud Th. Barthol. 2) in exemplo hominis, qui credebat, se spectrum vidisse.

§. 21.

Praeter hos, quos attuli, terror etiam plures alios morbos adducit, lipothymiam, catalepsin, maniam, apoplexiam, quin etiam mortem accelerat. Exempla quae terrorem saepe causam mortis fuisse comprobant, et nostris temporibus et praeterlapsis non desunt; Sic Pechlinus 3) narrat foeminam quandam patriciam, cum cometen illum anni 1652 vidisset, prae terrore mortuam esse. Et Valer. Maxim. 4) nobis Iuliam I. Caesaris filiam narrat, a terrore mortuam esse hisce verbis: quod cum aediliciis comitiis Pompeii magni, coniugis sui, vestem cruore respersam e campo domum relatam vidisset, territa metu, ne qua ei vis esset illata, exanimis concidit, partumque, quem utero conceptum habebat, subita animi consternatione et gravi corporis dolore, eiicere coacta sit, atque ita expiraverit.“ Hactenus de terrore.

1) in Ephemerid. medicophys. observ. 35.

2) in act. Hafn. Vol. 1 observ. 85.

3) Pechlinus lib. 3. observ. 23.

4) Val. Maxim. lib. 4 c. 6.

§. 22.

Nunc e, de pudore, quae est affectio animi tristis et deprimens ob malum quoddam a nobis paratum, quatenus ab aliis cognoscitur. Pudor efficit inordinatam sanguinis circulationem, quare congestiones ad partes externas; ad pectus et faciem indeque erubeșcentiam faciei. Interdum etiam exoriuntur spasmo partium externarum, congestiones ad partes internas, porro depressio oculorum, impedimentum functionum nervorum et in foeminis sensibilibus spasmi, convulsiones, amenorrhoea et omnino debilitas totius organismi, unde facile morbi asthenici oriri possunt.

§. 23.

Nunc eos effectus animi deprimentes explicabo, qui

B, cum sensu mali vel iniucundi futuri coniuncti sunt, huc pertinent prae ceteris:

a. metus, quae est affectio animi ingrata, suborta ex idea mali imminentis. Si animadvertamus hominem metu correptum, videmus pallorem primo faciei induci, simul cum frigore et tremore partium externarum; unde iterum Ovidius canit;

Extimui, sensique metu riguisse capillos
Et gelidum subito frigore pectus erat.

Metus porro congignit circulationis sanguinis suppressionem, congestiones ad partes internas,

praecipue cor versus, cordis palpitationem, pulsum parvum et depressum respirationem difficilem, stagnationem sanguinis et glandularum, secretiones imminutas aut debilitatem sphincterum ideoque excretiones involuntarias urinae, seminis et alvi, laxitatem vasorum cutis et exinde sudores frigidos, interdum |cruentos, denique resorptionem adauctam, uti propter reactionem debilitatem vel excitationem adauctam et imaginationem; organismus etiam aptior fit ad miasmata et contagia excipienda. Consequitur imo callapsus systematis nervosi universalis; uti error et suppressio sensuum et animi, amentia, lipothymia, asphyxia quin etiam mors.

§. 24.

Extremo loco eum affectum deprimentem commemoro, qui

C, cum sensu ingratae vel iniucundi rei, iam praeterlapsae vel factorum iniuste commissorum coniunctus est. Tantum nomino poenitentiam, quae est affectio animi tristis ob malum aut factum a nobis olim commissum, quod, cum inhonestum et iniustum cognoscamus, vel ab aliis iniustum habeatur et indicetur, non commissum optamus. Conscientia mala irrumpit iudicium et attentionem tantum ad illam rem ingratam attrahit; phantasiam itaque incitat, quare facile ideas fixas atque falsas, maniam et alios

mentis morbos gignit. Inquietudine continua et anxietate tonus nervorum debilitatur, oriuntur agrypnia, somnia molesta suppressio facultatis reproductivae laxitas et atonia musculorum, languor circulationis sanguinis et respirationis, saepius gemitus; turbatio secretionum excretionumque, laesio appetitus atque digestionis, stagnatio humorum in intestinis, tandem, si poenitentia vehementior fuerit, atonia universalis emaciationes, cachexiae ipsaque mors sequuntur.

Vim affectuum animi in organismum noxiam indicasse sufficiat, quare iam finem dissertatiunculae meae impono.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Ioannes Traugott Iackisch in pago Lusatiae superioris, cui nomen est Schreibersdorf, die XXVI Maii anni MDCCXCII, patre optimo sed iam defuncto et matre carissima e gente Hermanniana natus sum. Ad annum usque decimum quartum in elementis, quae puer capere valet in schola civili informatus, Lyceum, quod Laubae

Rectore doctissimo Ioerdens floret, me contuli. Hic per triennium literis studui, dein vero Gymnasium Gorlicense per quadriennium auspiciis viri summe venerandi Antonii, Rectoris frequentavi. Cursu scholastico finito, mense Maio anni XIII huius seculi, Academiam Lipsiensem, theologiae operam daturus, petii, ubi a Wielando Rectore t. t. Magnifico civibus academicis sum adscriptus

Hic cum lectiones theologicas frequentassem, triennio rite absoluto, in patriam redux, paedagogus familiae iuvenilis viri nobilis de Fromberg, nec minus tentamine pro licentia conciones habendi peracto, socius collegii concionalis, quod Laubae extat, factus sum. Sed doloribus pectoris cruciatus et interdum dyspnoea et haemoptysi correptus, nimirum in concionibus habendis de hac vitae ratione abstinere et aliam eligere sum coactus, quamobrem mense Novembri Vratislaviam me contuli, ubi ab Ill. Bartels t. t. Rectore Magnifico d. VIII eiusdem mensis numero civium academicorum sum adscriptus. Ab hoc inde tempore hasce artis medicae aliarumque partes pertactavi:

Duce Cel. Steffens physicam experimentalem, doctrinam lucis, caloris et colorum, geographiam physicalem et anthropologiam, nec minus chemiam tam experimentalem quam pharmaceuticam et aquarum medicatarum analysin chemicam duce Cel. Fischer. Cel. Otto anatomiam tum theoreticam tum practicam, anatomiam comparativam, historiam foetus humani et sectiones cadaverum forenses administrare me docuit. Cel. Treviranum elementa botanices, physiologiam et anatomiam plantarum explicantem audivi. Ill. Bartels physiologiae corporis humani, generationis et vitae stadiorum, electricitatis animalis hominum, temperamentorum et pathologiae generalis cognitionem debeo. Cel. Benedict encyclopaediam me-

dicam, ophthalmiatricen atque fascias chirurgicas applicandi artem, chirurgiam cum generalem tum specialem me docuit; nec minus scholam clinicam chirurgicam, cui praeest, frequentare mihi permisit. Ill. Remer, summe mihi venerando, cuius benevolentiae erga me semper grato animo recordabor, materiam medicam, methodum formulas medicas concinnandi, therapiam generalem et specialem debeo, ipsoque in medicina facienda per annum et sex menses duce gavisus sum. Cel. Andrée scholas obstetricias tam theoreticas quam practicas, et clinicum obstetricium frequentavi.

Exeunte mense Aprili huius anni in Universitatem Berolinensem me contuli. Hic exercitationibus medico practicis in clinico Ill. Berends adfui, nec minus institutum clinicum chirurgicum Ill. Graefe et exercitationes in machina phantome Ill. de Siebold frequentavi.

Quibus praeceptoribus omnibus pro beneficiis in me collatis gratias quam maximas ago, nec unquam eos pia mente colere desinam. Iam vero tentamine examineque rigoroso coram Gratiosa Facultate medica Berolinensi rite absolutis, spero fore, ut post hanc dissertationem palam defensam summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Gonorrhoea non est indolis syphiliticae.

II. Natura medicatrix optimus medicus.

III. Mulieribus coitus non est necessarius.

IV. Nulla sunt medicamina universalia.

V. Hydrops ex actione vasorum resorbentium suppressa originem ducit.